

SPICILEGIUM HISTORICUM

Congregationis
SSmi Redemptoris

Annus 1 1953 Fasc. 1-2

Collegium S. Alfonsi de Urbe

SOCII REDACTIONIS

RP. Iosephus Löw

RP. Orestes Gregorio

RP. Andreas Sampers

sedem habent Romae in domo principali CSSR.

Epistolae, lucubrationes, notitiae, interrogationes
mittentur sub hac indicatione:

Redazione delle Pubblicazioni storiche CSSR.

Roma III/35, Via Merulana 31

Italia

SPICILEGIUM HISTORICUM


Congregationis
SSmi Redemptoris

Annus 1

1953

Fasc. 1-2

Collegium S. Alfonsi de Urbe



D E C R E T U M
DE INSTITUENDIS COMMENTARIIS HISTORICIS
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

Profecto neminem fugit quanti momenti sit tam pro individuīs quam praesertim pro variarum specierum societatibus, praeteritorum temporum memoriam colere atque rerum gestarum scientiae incumbere. Historia enim, quae « testis temporum » est atque « nuntia vetustatis », eadem et « magistra vitae » non immerito appellatur (CICERO, *De oratore*, lib. II, cap. IX, n. 36).

Quod sane intellexerunt ipse fundator nostri Instituti atque pater noster S. Alfonsus aliique sodales, uti Iosephus Landi atque Antonius Tannoia, qui historiam originis Instituti fovere suo quisque modo sategerunt.

Vertentibus annis multi alii inter nostros eodem studio investigandi atque apte narrandi res gestas eminuere, inter quos praesertim laudandus Archivista et Chronista Generalis P. Fridericus Kuntz, qui totam fere vitam in colligendis materiis ad historiam Congregationis pertinentibus atque illis in forma Annalium exarandis absumpsit. Et cum abhinc 31 annis praedecessor noster coepisset peculiare periodicum in commodum confratrum edere, *Analecta C.SS.R.*, id quoque characterem historicum habere voluit, respiciens modo Instituti historiam recentem, modo eius historiam antiquam sub illa rubrica *Monumenta historica*.

Verum tempus advenisse rati sumus ulterius progredi et post collata cum nostris Consultoribus consilia peculiare Commentarios historicos condendos decrevimus ad usum privatum Congregatorum.

Et duplicis quidem speciei Commentarii sunt. Primo veniunt folia periodica, inscripta *Spicilegium Historicum C.SS.R.* (S. H.), bis in anno proditura, in quibus documenta et studia minora variaequae notitiae ad nostram historiam spectantes edantur. Cui dein accedit *Bibliotheca Historica C.SS.R.* (B. H.), series scilicet voluminum, opportuno tempore edendorum, quibus documenta et studia historica maioris molis et momenti producantur.

Finis utriusque publicationis idem ille est, ut scilicet melior promoveatur cognitio priorum familiae alfonsianae temporum et sic maior in eam

dilectio suscitetur et actuosus foveatur fervor « vindicandi hereditatem patrum nostrorum ». Et in specie documentorum publicatione ad id tendimus, ut praecipui fontes historiae nostrae, methodo modernae criticae historicae cribrati, omnibus ita patefiant, ut quisvis sodalis familiae nostrae facile et secure in tempora anteacta et heroes nostros eorumque gesta indagare queat.

Summa denique in eo est, quod revocando vetera licebit in ipsis fontibus haurire creatorem illum spiritum qui possit instaurare hodierna.

Quo melius autem res procedant, collegium moderatorum nominavimus, quod, secundum normas a nobis approbatas, ea omnia proprio Marte exsequi possit et debeat, quae ordinarie ad redactionem spectant. Socios vero redactionis constituimus RR. PP. Orestem Gregorio, Andream Samper et Iosephum Löw, quem etiam praesidem collegii esse volumus.

Nominavimus insuper quosdam Patres tamquam consilium redactionis, alios Romae in domo generalitiae praesentes, alios in diversis suis provinciis degentes. Nomina eorum haec sunt:

In domo generalitiae: RR. PP. Dominicus Capone (Prov. Neapolitanae), Clemens Henze (Prov. Germaniae Inferioris), Raymundus Telleria (Prov. Hispanicae). Foris: RR. PP. Petrus Bernards (Prov. Germaniae Inferioris), Iosephus Cacciatore (Prov. Romanae), Michael Curley (Prov. Baltimorensis), Mauritius De Meulemeester (Prov. Belgicae), Eduardus Hosp (Prov. Austriacae), Ladislaus Szoldrsky (Prov. Polonicae).

Nil impedit quominus alii quoque huius consilii socii, temporis decursu, eligantur.

Utinam per unanimem fratrum nostrae familiae alfonsianae conspirationem, ex opere « Commentariorum historicorum Congregationis SS.mi Redemptoris » fiducialiter incipientium, speciosi fructus producantur intimae cognitionis, grati amoris, operosae deditiois erga communem Matrem, Congregationem nostram.

Datum Romae, ad S. Alfonsi, die 2 Februarii 1953.

L. BUIJS C.S.S.R.

Sup. Gen. et Rector Maior